Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

tenere in omnibus. et uere iuxta philosophorum
sententiam. EMECOTHTAC APETAC ŸΠEP
BOΛAC KAKIAC EINAI. reputantur. quod nos
una breuique sententiola exprimere possumus.
ne quid nimis. Que in contemptu ciborum
tantam habebat pertinaciam, in luctu mi-
tis erat. et suorum mortibus maxime frange-
batur liberorum. Nam et in uiri et in filiorum
dormitione semper periclitata est. et cum
os stomachumque signaret. et matris do-
lorem crucis niteretur impressione delere (lenire).
tamen superabatur affectu. et credulam men-
tem parentis uiscera consternabant. ani-
moque uincens fragilitatem corporis uince-
batur: quod semel languor arripiens longo
tempore possidebat. ut et nobis inquie-
tudinem et sibi discrimina afferret. In
quo illa letabatur, per momenta commemo-
rans. miser ego homo, quis me liberabit
de corpore mortis huius. Dicat lector
prudens, pro laudibus me uituperationem
scribere. Testor Ihesum cui illa seruiuit,
et ego seruire cupio me in utramque partem ni-
chil fingere. sed quasi christianum de christiana
que sunt uera proferre. id est historiam scri-
bere non panagericum. et illius uicia aliorum esse uir-
tutes. Vicia loquor secundum animum meum.
et omnium sororum ac fratrum desiderium qui illam
diligimus et absentem querimus. Ceterum illa
compleuit cursum suum. fidemque seruauit.
et nunc fruitur corona iusticie. Sequitur
agnum quocumque uadit. saturatur quia esuri-
uit. et leta decantat. sicut audiuimus
ita et uidimus in ciuitate domini uirtutum in ci-
uitate dei nostri. O beata rerum commutatio.
Fleuit ut semper rideret. despexit lacus

contritos. ut fontem dominum repperiret.
Vestita cilicio est. ut nunc albis uestibus
uteretur. et diceret. scidisti saccum meum. et
circumdedisti me leticia. Cinerem sicut
panem manducauit. et potionem suam cum
fletu miscebat dicens. Fuerunt michi lacrime
mee panes die ac nocte. ut in eternum angelorum
panem uesceretur. et caneret. gustate et uidete
quoniam suauis est dominus. et eructauit cor meum
uerbum bonum. dico ego opera mea regi.
Et ysaie. immo domini per ysaiam in se cerneret
uerba compleri. Ecce qui seruiunt michi
manducabunt uos autem esurietis. ecce qui
seruiunt michi bibent uos autem sitietis. ecce
qui seruiunt michi letabuntur. uos autem confun-
demini. ecce qui seruiunt michi exultabunt
in gaudio. uos autem clamabitis ob dolorem
cordis. et propter contritionem spiritus ulula-
bitis. Dixeram lacus eam semper fugisse
contritos (mortis). ut fontem dominum repperiret. ut
posset leta cantare. sicut ceruus deside-
rat ad fontes aquarum. ita desiderat anima
mea ad te deus. quando ueniam et apparebo ante
faciem dei. Tangam ergo breuiter quomodo hereti-
corum cenosos deuitauerit lacus. et eos instar
habuerit ethnicorum. Quidam ueterator
callidus. atque ut sibi uidebatur doctus ac
sciolus. me nesciente cepit ei proponere ques-
tiones et dicere. Quid peccauit infans ut
a demone corripiatur. in qua etate resur-
recturi sumus. si in ipsa qua morimur.
ergo nutricibus post resurrectionem opus erit. Si
in altera. nequaquam erit resurrectio mortuorum.
sed transformatio in alios. Diuersitas quoque
sexus maris ac femine erit. an non erit.
Si erit. sequentur et nuptie et concubitus.